

merito creditur, sponsum suum Josephum facile perduxit: eandemque ita adamavit, ut eam potius retinere, quam cum ejus dispendio Mater Dei fieri vellet. Hinc cogitabat ea tantum, quæ Domini sunt; hinc virorum aspectus et colloquia fugit, unde etiam sensu grammatico intelligi potest quod ait: *Quoniam virum non cognosco*: hinc ab Isaia, c. VII. *alma*, id est, *abscondita appellatur*.

Tales igitur in primis decet esse ancillas omnes, tales et servos. De servis habemus Josephum, qui insidiatricem dominam non modo non audit, sed ne tangeret, etiam vestem renitenti reliquit; malens ab ea falsa accusari, et innocens in carcerem trudi, quam turpi ejus petitioni assensum dare.

De ancillis refert, ex relatione abbatis Isidori, Vincentius, in speculo, et S. Antoninus, p. II. sum. hist. tit. XV. c. VIII. parag. IV. exemplum unius ancillæ virginis, Potamiæ dictæ, quæ a domino suo æpius ad stuprum sollicitata, nullo modo assentiri nefariæ petitioni voluit ideoque ab eo tradita est Alexandria præfecto Christianorum persecutori. Qui diversa supplicia ipsi parans, vas etiam æneum pice repletum incendens ait: «Aut vade et obtempera domino tuo: aut scias te in hoc vas esse mittendam. Quæ respondit: Nunquam ait alter cognitor talis, qui adjici jubeat libidini castitatem. Per caput imperatoris tui, quod vereris, obtestor, ut si mehis tormentis necare statuisti, non simul totam, sed paulatim jubeas mitti, ut videas, mihi quantam dederit patientia ignotus tibi Christus. Itaque per unius horæ spatium æneum vas candens demissam defecit, ubi primo pix ebulliens ad ejus collum devenit.»

Quando igitur B. Virginem ancillam Domini vere fuisse videmus, superest ut nos quoque servi et ancillæ Domini, non vocemur solum, sed reipsa etiam simus. Certe: *Maria Domina ipsa se Christi profiteatur ancillam hoc servitutis genus omni regno sublimius esse intelligit*: et Sanctus Antoninus episcopus, cum in morte aliud loqui non posset, hoc solum identidem repetebat: *Servire Deo regnare est*, volens dicere: O quam suave est in morte meminisse, se Dei servum fuisse, ut in ejus vita.

CONCIO V.

QUOMODO CAPTUS A B. V. ET A NOBIS IN S. COMMUNIONE CAPIENDUS DEI FILIUS.

Dei Filium quasi unicornem cepit Maria resolutione. — I. Humi sedendo, et dicendo: *Ecce ancilla Domini*. — II. Expendendo sinum et dicendo: *Fiat mihi*. — III. Virginitatem suam tueado, ac dicendo: *Secundum verbum tuum*.

THEMA.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Luc. I.

Mirum quid scribit S. Isidorus episcopus Hispalensis, l. XII. etym. et S. Gregorius M. l. XXX. mor. c. X. Alb. M. l. de anim. XXII. de unicorni; quod nimirum animal hoc præ robore et velocitate, longo armatum cornu, nequeat capi a venatoribus, nisi interventu virginis humi sedentis et sinum ei suum expandentis; tum nimirum mox cicurari, et in ejus sinum caput suum deponere, denique non difficile ligari ac vulnerari. Mirum, inquam, hoc est, egregie depingens admirandum illud mysterium, quo hodie celebramus. Quis ille unicornis, nisi Dei Filius, de quo Ps. XXVIII. dicitur: *Dilectus quemadmodum filius unicornium*: sed quis illum capere possit? Nemo alius nisi Virgo Maria, quæ sua eum virtute plane cepit et in sinum suum de cælo detraxit, ut se ligari, infasciari, demum etiam pro nobis vulnerari et occidi amore nostri pateretur. At quomodo eum detraxit? Quomodo cepit? Humi sedit, per humilitatem dicens: *Ecce ancilla Domini*: Deinde, sinum suum expandit per obedientiam, addens: *Fiat mihi*: denique, virginitatis suæ florem ei monstravit, adjungens: *Secundum verbum tuum*. Triplici hoc funiculo Dei Filium captivum suum fecit et vinculo unionis hypostaticæ quodammodo ligavit, cum naturæ humanæ Dei Filium, denique infantem tactum, fasciis alligavit. Porro triplicem illum funiculum nunc intuemur.

I. Humi sedit, dicendo: *Ecce ancilla Domini*. Maxima est hæc humilitas, post tantas præsertim laudes angeli quæ se e summo honoris fastigio ad pedes Domini abjicit, adeoque *humilitas est honorata*, ut ait S. Bernardus. Hæc in primis cepit Dei Filium, ut hujus virginis Filius fieret: quomodo sandalia Judithæ rapuerunt oculos Holofernis, Judith XVI. Quid vero illa nisi humilitatem significant, quæ scilicet infimo loco et quasi in luto incedit? Hinc enim sponsus cum laudatus fuisset a sponsa, inchoante a capite, id est, a divinitate, velut nobilissima ejus dignitate:

Caput ejus aurum optimum, etc. Cant. VI. ipse vicissim laudans sponsam, incipit a pedibus ejus humilitate scilicet, pulcherrima sponsæ virtute: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!* Cant. VII. Quod est pes et calceus corpori, hoc et ancilla domini: pes et calceus in lucem intrare, similiter ancilla sordidissima quæque ministeria in domo obire debet. Erat B. Virgo ornata donis cælestibus, gratia plena, benedicta in mulieribus; et tamen se in lutum projicit: *Ecce ancilla Domini*. Hoc est quod rapuit sponsum in amore ejus. Sed videamus gressus humilitatis, quibus adeo placuit Filio Dei. Primus est, quod puella tantis dotibus ornata, non detrectat desponsari viro pauperi et fabro lignario: alter, quod audiens tantas laudes suas ab angelo sibi datas, et legationem tam honorificam, ipsis angelis stupendam, a Deo ad se factam, turbatur in sermone, timens audire laudes suas; ac ne forte vento superbiæ extolleretur et in lapsum raperetur, projicit se in terram, veluti apicula contra vehementem ventum prægravans se lapillo: tertius, quod edoceri cupit ab angelo, quomodo fieri possit, ut, stante voto virginitatis, sit Mater Christi. Non enim respondit: Hoc fieri non potest, quia virgo sum et ero semper, quare mater esse nequeo, etc. sed humiliter interrogat: *Quomodo fiet istud?* subjiciens intellectum suum angelo, virgo alioquin illuminatissima, et in quibusdam rebus super angelos erudita: quartus, quod se ancillam vocat, ad officia quæque abjectissima promptam ac paratam. Hi sunt gressus humilitatis, quibus rapuit ad se Filium Dei, miro plane modo.

Igitur et nos, si reputemus nos indignos s. communionem, aliisque Dei gratiis, tum demum digni flemus: quemadmodum centurio, cum dixit: *Domine non sum dignus, etc.* eo ipso factus est dignus, ut impetraret mox quod petiit. Hunc in modum S. Otho episcopus Banbergensis sua humilitate exaltari meruit: cum enim esset adhuc cancellarius Henrici IV. imp. delatus est ei ab imperatore episcopatus Bamb. Verum Otho ad pedes imp. advolutis eunt lacrymis, inidoneum et indignum tanto se honore clamat. Qua humilitate delectatus imperator, ad legatos Bambergenses conversus: «Cernitis, inquit, quæ sit hujus hominis ambitio! Duos ante sibi oblatos episcopatus ad socios rejecit, Augustanum et Halberstadiensem; tertium vero, qua animi humilitate et pertinacia recuset, vos ipsi mihi testes estis.» Tum annulo episcopali digito ejus incerto et pedo tradito, investitum eum legatis resignavit, Lipel. 2. julii, et Sur.

II. Expandit sinum suum, dicendo: *Fiat mihi*.

Quo verbo explicat obedientiam paratissimam ad Dei voluntatem amplectendam, et quidem in re difficili. Nam in primis cogita, Virgo, quid agas. Quid enim dicent parentes, si te gravidam viderint, nondum conjugatam? Quid sponsus tuus? Quomodo credent tibi, si dicas Spiritum sanctum tibi obumbrasse et prolem hanc dedisse? Deinde, quomodo paupercola ales prolem tantæ nobilitatis? Ad hæc proles ista, si paupercola erit, certe tibi cum ea in paupertate semper vivendum erit: rursum, patietur infinitas persecutiones, et cum ea fugiendum erit in Ægyptum: cum ea ad extremum standum sub cruce, et animo commoriendum. Illa nihilominus ad hæc omnia respondet: *Fiat mihi*. Hac ergo obedientia cepit, adeoque vulneravit Dei Filium, ut eam in matrem eligeret, quod indicasse videtur sponsus, cum Cant. IV. ait ad sponsam: *Vulnerasti cor meum* (Septuaginta legunt: *Excordasti me*) *in uno oculorum tuorum et in uno crine colli tui*. Collum obedientiæ typus est, qua juga se submittit in jumentis, et in homine se curvat, cum mandatis superiorum annuit. Similiter et crinis; quid enim crine flexibilis? Præsertim crine colli, qui subtilissimus est? Non ergo crinem capitis, sed colli nominat, ut obedientiam Matris suæ promptissimam indicet.

Habemus igitur quantum Deo placeat obedientia, præsertim magnorum capitum, quando se submitunt Dei et Ecclesiæ præceptis. Id quod docuit nos Christus per hos dies, passionem ejus præcedentes, quibus fere morabatur in Bethania quæ, *domus obedientiæ* exponitur (*beth domus, ana est obedire*). Inde ventitabat in Jerusalem, et illuc redibat cœnaturus, ut nos doceret in Ecclesia, juxta ejus mandatum, sacram cœnam nobis sumendam ex motivo obedientiæ etiam, non solum amoris. Placuit valde S. Antonio simplicissima obedientia Pauli Simplicis dicti, discipuli ejus; qui cum aliquando, præsentibus magnis viris et præfectis, interrogasset Antonium, Christusne an propheta prius fuissent: Antonius ob tantam ejus simplicitatem erubescens, quasi blando nutu silere eum atque abire jussit. Ille igitur, quia omnia Antonii præcepta quasi divina accipiebat, abscedens ad cellulam suam, tamquam mandato accepto, silentium gerere instituit, nec quidquam amplius loqui. Quod ubi comperit Antonius, mirari cœpit, cum id non mandasset; cumque eum loqui jussisset, respondit Paulus: *Tu, pater, dixisti ut trem et tacerem*. Stupens ad hoc Antonius: *Omnes nos, inquit, iste condemnat; cum enim nos de cælo non audiamus nobis loquentem, ab isto, qualiscumque sermo, qui ex ore meo exiit, observatur*, Ruffin. Aquileiensis, presb. l. II. in vit. pp. apud Rosweid. Jam si hic uni nutui abbatis

tam sincere obedivit; quanto magis nos Ecclesie praelatis mandata seria imponentibus obtemperare decet?

III. Virgo denique fuit, et quidem ex voto sanctissima; quod indicat illo verbo: *Secundum verbum tuum*; innuens se consentire quidem, ut Mater Dei fiat, reservata tamen sibi sua virginitate, sicut ei prädixerat angelus; quasi alias non consensus, ut sentit S. Bernardinus Sennen. ser. de concept. necnon S. Anselmus et S. Gregorius Nyssenus, loquendo de maternitate Dei præcise: præbarique ex eo potest, quod prius assensum non dederit, quæ ab angelo audiret: *Spiritus sanctus superveniet in te, etc.* Atque per hoc ipsum ita placuit Deo, ut ipsum virginitatis florem in virgineum uterum suum traheret. Unde Cant. VII. sponsus eam sic commendat: *Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliiis.* Acervus tritici fecunditatem ejus indicat, qua panem cæli toti mundo conservavit, imo genuit. Vallum lilium est propositum ac votum virginitatis ejus firmissimum atque inexpugnabile: quod etiam ipsi angelo objecit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Pulchre autem per lilium virginitas designatur; tum quia candorem purissimum nulla macula aspersum habet; tum quia attractari renuit, alioquin mox nitorem ac vigorem suum perdit et flaccescit. Quam ob causam h. fr. Egidius per triplicem filium exortum miraculosum eisdem fratri ord. Prædicat. demonstravit B. Virginem ante, in, et post partum exitisse virginem, ut alibi dixi.

Sine apparet quam grata sic Christo Domino castitas præsertim virginea. Unde et discimus, quanta corporis et animæ puritate præditi esse debeamus, cum ad Virginis Filium in eucharistia suscipiendum pergimus. Si enim noluit nasci, nisi a matre virginitati adstricta; imo nec educari, et attractari nisi a nutritio virgine, Josepho: quomodo obscænis aliquis excipere ipsum audeat? Quare olim præcepit Concilium Elibertinum, ut communicaturi conjuges tribus vel quatuor diebus prius a conjugali copula absterneant, ut habetur in. c. *Omnes*, de consecr. distinct. II. Quod etsi quidem jam non amplius obligat. omnino tamen omnibus adnitendum est conjugatis, ut sal-

tem præcedente nocte se contineant. Alioquin, ob irreverentiam, venialiter saltem peccabunt, et audient a S. Augustino, serm. CCXLIV. de tempor. et S. Hieron. in apol. contra Jovin. *Illorum conscientiam convenio, qui eodem die post coitum (intemperantiæ et voluptatis gratia factum) communicant.* Sane Dagon corruit, muliebre et spurcum idolum Veneris (uti sentit et colligit ex Herodoto et Rhodigino Serarius) in c. XVI. Judic. q. XXIII. Sanctius, in lib. Reg.), ubi arca Dei in templum ejus adducta fuit, ipsique Azotii sædo morbo correpti sunt, I. Reg. V. Videant etiam ii, qui arcam illam vivam, virgineam, incorruptibilem, Christum, in cor suum pollutum inferunt, ne et ipsi corrumpantur in mortem, aut morbos saltem, sicut in primitiva Ecclesia contigisse fatetur S. Paulus, I. Cor. XI. *Ideo inter vos multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi.* Sic: *Hodie ait Sanctus Anselmus in eum locum, post pascha multi variis morbis corripuntur, quia indigne corpus Domini percipiunt.* Philisthæi postquam ex Dagonis ruina perspexerunt sanctitatem arcæ, aversantis Venerem omnemque immunditiam, remissuri eam ad Hebræos, fecerunt plaustrum novum, et duas vacas, quibus non fuit impositum jugum, plaustrum junxerunt, cui arcam imponentes domum remiserunt, I. Reg. VI. Sit ergo, ac multo magis, prima hæc communicaturis cura, ut cor suum innovent et ab omni inquinamento expurgent, juxta id Ezech. XVIII. *Facite vobis cor novum et spiritum novum, neque jungant se cum iis, qui jugum impuritatis trahunt.*

Vidimus qua ratione B. Virgo ceperit quodammodo et in sinum suum de cælo detraxerit Dei Filium, ut in ejus uterum sese dimitteret, adeoque homo fieret. Videamus et nos, quomodo eundem attrahamus ad nos, ut cum gaudio et amore in sinum nostrum descendat. Notum ex hist. Caroli M. quomodo Witikindus Saxonum dux Cæsaris castris viderit Christum puerili specie ad quosdam communicantes cum gaudio et risu, ad alios cum tædio et reluctatione intrare, eaque visione ad fidem conversus sit. Ergo ut ad nos etiam hilaris et arridens unicornis hic descendat, sedeamus in terra per humilitatem, expandamus sinum per obedientiam, sinus casti et impolluti.

IN FESTO S. GEORGII

EVANGELIUM. JOANN. XV.

Ego sum vitis vera, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructura multum, quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palme et arecet, et colligent eum, et in ignem mittent et ardet. Si manseritis in me et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, et efficiamini discipuli. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos: manete in dilectione mea. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego præcepta Patris mei servavi, et maneo in ejus dilectione. Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur.

CONCIONES.

- I. Quomodo Christus vitis.
- II. Quam sit periculosum relabi in peccatum.
- III. Quæ damna consequantur relapsos seu recidivos.
- IV. Cur voluerit Christus Ecclesiam suam martyrum sanguine rigare.
- V. Martyres spirituales qui?
- VI. Martyres diaboli.
- VII. Documenta evangelii.
- VIII. Mysteria.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Quos dracones necavit S. Georgius.
- II. Contra relapsum strenue pugnandum.
- III. Agricolas per patientiam feri posse equites S. Georgii.
- IV. Quædam agrorum præscripta, seu regulæ.

CONCIO I.

QUOMODO CHRISTUS VITIS.

I. Natura. — II. Palmitibus. — III. Fructu. — IV. Cultura.

THEMA.

Ego sum vitis vera. Joan. XV.

Inter alias quæstiones Christo a Pilato propositas, una sane permagni momenti fuit, tametsi responsionem Christi Pilatus non expectavit, Dum enim dixisset Christus se ad hoc venisse in mundum, ut testimonium perhiberet veritati, quæsit Pilatus: *Quid est veritas?* Joan. XVIII. Sed continuo exiit foras, et responsum non expectavit. Nimirum filii hujus sæculi, qui diligunt vanitatem et quærunt mendacium, ægrè audiunt: Quid sit veritas. Expectasset paulum Pilatus: et tunc utique audivisset, mundi regna non esse vera et solida regna, sed inania et fucata: divi-

tias hujus sæculi non esse veras divitias: libertatem carnis non esse veram libertatem: captivitatem carnis non esse veram captivitatem: et universim corporalia et terrena sive bona sive mala, non esse vera bona seu mala, sola vero spiritualia bona, vera bona esse; sola spiritualia mala, vera esse mala. Hoc sensu dicit Dominus, se vitem esse veram, vitem scilicet spiritualementem, cujus respectu, vitis materialis non est vera vitis. Ista enim fructum parit, qui carnem tantum fovet; Christus vero vinum, quod animam vivificat, sustentat et beatificat: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam*, ait Dominus, Joan. VI. cum de hoc vino sermociuaretur Christus: ergo vitis vera est, quia quæ fiunt circa vitem corporaliter, ea fiunt circa Christum spiritualiter, uti docet S. Bern. in tractatu de passione, super hæc verba, cujus vestigia hic sequemur.

I. Christus est vera vitis, primo, si consideremus ipsius vitis naturam: nam primo, plantari solet vitis in terra, non seminari, translata de